ORATIO FUNEBRIS

IN OBITUM

CLARISSIMI VIRI ET MUNI-
FICENTISSIMI COLLEGII COR-
PORIS CHRISTI Oxon. benefactoris
GEORGII SANCTPAUL Equitis
Aurati, habita in medijs epulis
Decembris 9. 1613.

A

MATTHÆO COLMORE
Somatochriſtiano.

MARTIAL.
Qui fles talia, nil fleat.

OXONIÆ
Excudebat Joſephus Barneſius. 1613.

Ornatissimo viro Sebastiano Benfield, sacræ Theologiæ
Doctori, et CCC socio, εὐδαιμονεῖν.

De humanitate tua merito diffidere viderer, si hoc meæ gra
tudinis, et observantiæ τεκμήριον epistolica insinuatione commendarem.
Tamen dignitatem tuam pagella hæc nimium rustica ac
nomini sui lingua te salutat, et mille vota concipit, ut hunc amu
liosque, Pastorco numero foelices, beata coronet æternitas.

Dignitati tuæ devotissimus

Matthæus Colmore.

LECTORI S.

NEque Amicorum importunitas, nec Bibliopolæ flagitatio (triviales iſtæ ambitioſè ſcripturientium Apologiæ) hoc mihi exemplar invito extorſerunt. Is ſolus author eſt vt ederem, cui habebam. Illius memoriæ Xenium dedico, & inter reliquos Heroas famam non invidendam chartacei Monumenti (ſi quid mea munera poſſint) tutelæ mando. Abſit enim vt meritiſſimus Mecænas oblivione ſepultus iaceat, ac non potiùs vel per me qualemcunque Curatorem publicè aliquatenùs innoteſcat.

Te quoque Pieriæ memorabunt ritè Puellæ;
Atq; eris in noſtro plurimus ore—

Ecquid (*Egregij Viri*) vt palato, ita auribus gratum convivium expectatis? facundum dolorē? et qui plerumque loqui neſcit, vt ſe diſertè exprimat? An in pullâ funeris adumbratione nitentia rhetorices pigmenta?

Non eſt conveniens luctibus ille color.

Non dolet, cui vacat verborum pompa, aut curioſis ludere epithetis. Opto jam potiùs *Corneliana* πάθος, quæ totum forum lacrymis complevit. Oculos vellem dociles, non aures; gemitus pro plauſu foret. Et ſanè miſeram habituri eſtis orationem. Optimè Oratori convenit cum ſuo Themate. Si tragiciſſimos, & in affectibus commovendis δεινότητας adhibuiſſetis, nemo (confidentèr aio) miſeriùs potuiſſet, quàm ipſe. Equidem gratulor ingenij mei ſterilitati, quod tam deplorandum funus celebraturus, artem dicendi neſcio. Vtinámq; hoc ipſum dicere neſcirem, Auditores. Refugit profectò lingua triſtem nuntium, & præteritas funeſtiſſimi Anni clades recenti mortalitatis exẽplo proſequi. Quot enim in anguſto περιπλομένου ἐνιαυτοῦ ſpatio (ac ſi vltimā temporis periodum prę̨ſagiret) *Marones* & *Mecænates* alma Mater *Academia* deſideravit! Poetæ, Rhetores, quando magis frequentes! Solæ elegiæ prelum *Oxonienſe* fatigârunt. Quoties gementem pariter ad pulpita proſam audivimus! quaſi nullo fas modo intermortuas has artes reviviſcere,

niſi ipſas cadavera animarent. HENRICVS, primus ad ſuperos properavit iter. Quem longo tanquam famulatûs ordine comitatæ ſunt nobiles Vmbrę, *Bodleius*, *Petræus*, *Haringtonus*, *Ruſſellus*, *Harmerus*, *Rivius*, *Williams*, *Chenellus* noſter: nunc velut hucuſque benignæ nobis *Parcæ* peperciſſent, etiam SANCTPAVLVS. Atquin jubere iniqua numina mortem

--- hoc ſanguine paſcere luxum;

dignos laude Muſa vetabit mori, atque invitis tribus, novem Sorores nunquam abrumpenda producent ſtamina.

Nec Lethæos ſæva per amnes
Vos fata vehent---

Ignoſcite ergò laudatori veſtro Manes SANCTPAVLIANI, ſi memoriam colere audax, impar virtutibus, officio duntaxàt & pietate peccaverit. Debemus tibi *Mnemoſynen Muſarum* Alumni, & Tui. Hæ te Ædes amplum agnoſcunt Benefactorem; ſolvitur Panegyrica. Quā neque Patriæ nobilitas (FOXI quoque Fundatoris natalibus ſuperbæ) nec Generis ſplēdor Equeſtri Stemmate inſignis, illuſtrabunt. *Euripidi* ſuccino,

Γένους ἔπαινος ἐστὶν ἀσφαλέστατος
Τρόπους ἄριστον εὐγενῆ καλεῖν.----

Itaq; generoſiſſimum ſine hyperbole SANCTPAVLVM fateamini, cujus mores novam inclytæ proſapiæ nobilitatem creabant: qui ſive à Naturâ, & animâ illuſtrium Progenitorum traduce innati fuerint, ſeu ab ornatiſſimo SPENSERO teneram formante adoleſcentiam inſiti, erant mehercules & Maioribus &

Prę-

Præceptore digniſſimi. Qualis in iis ſuavitas, dum hîc ageret! Quàm iucundâ ſimplicitate omnium ſibi animos conciliabat! Non eum (quo ſe ſtultè venditat Generoſorum vulgus) arrogantis ſupercilii faſtus deſpicabilem reddebat. Non Avaritiæ ſordes (poſtrema, vt *Ariſtoteles*, in juvene & illuſtri loco nato turpitudo) iam tum liberale fœdabant ingenium. Sed nec in vitium duxit culpæ fuga; & illiberalitatem, vt *Scyllam*, vitans, luxuriæ *Charybde* non abſorptus eſt. Crapulæ non impendit paternam munificentiam, (nempè *Heliconem* ſitiens, *Bacchum* faſtidivit.) Illa ipſa blandimenta, quibus interdum ſopita virtus connivere ſolet, quæq; adoleſcentulum facere flagitium negabat *Mitio*, ſub ſpecioſo iuvenilitatis nomine nō prætexuit. Deniq; cùm eſſet *Academicus*, non fuit *Epicureus*. Immò Stoicâ magis gravitate *Commēſalis*, vivebat vt *Scholaris*, & ſalutaritèr rigidam *Statutorum* ſeveritatem, quibus non tenebatur, æquali veritus eſt obſervantiâ. Maluit legibus obſequi, quàm teneri, & ſibi lex eſſe, quàm accipere. Eodem ſtudio, quo genuinus quivis *Diſcipulus*, literas ardebat. Non contentus generoſâ iſtorum ignorantiâ,

(---queis læva in parte mamillæ
Nil ſalit Arcadicis)

Aerem *Academicum* hauſi; ritus novi; libellos emi, & *pluteum ſervare* iuſſi. Ita parentum ſumptibus, & tēporis pretio abutentes vnicum illud diſcunt *lautorum pueri*, quid ſit diſcendum; ſatis conſecuti, ſi diuturnâ morâ nihil amiſerint.

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.

Hinc

Hinc Noſter biennium locavit, non perdidit. Quo feliciter exacto, *Parnaſſum* liquit, & *Muſas* Reipublicæ aſſueſecit. His integritatem, modeſtiam, manſuetudinem, Gratiáſq; omnes, in juſtitia moderanda ſibi veluti Aſſeſſores, imputavit. Quarum ampliſſimam teſtem totã appello LINCOLNIAM. Eò proſequamini, & jacta OXONII ſemina ibi in lætas ſegetes creſcentia intueamur. Nam, damnato ſervili hominum obſequio, qui

--penetrant aulas & limina regum,

ambitioſæ ſpei libertatem emancipantes, multorum ſervi, vnius ſæpè pueruli domini; Ædificia quidem latiſſimo porrecta ambitu vrbis faciem prę ferunt, ſed deſertæ, dominum deſiderant, & Oeconomiam. (O domus anguſtis Dominorum cogitationibus, quã diſpares!

Atria longa patent, ſed nec cœnantibus vſquam,
Nec ſomno locus eſt: quàm benè non habitant!)

Hanc indignatus vilitatem, in ſua SANCTPAVLVS rura, procul à ſtrepitu ſordibúſq; Aulicis conceſſit. Vbi--*Invidia favente felix*, ſui erat diffuſivus. *Iovem* coluit Hoſpitalem. Apertæ fores neminem excludebant. Nullus intrantes Ianitor obſervavit, minace vultu, verbíſq; imperioſis herilem vindicans parſimoniam. *Domum tuam putâſſes;*

Tam non invida, tamq; liberalis,
Tam comi patuit hoſpitalitate.
Credas Alcinoi pios penates,
Aut facti modò divitis Molorchi.

Non tamen diffluebat menſa, conturbatoribus de-

mentis luxuriæ deliciis: ſtomacho parata, haud gulæ. Cella ebriis perpotantium gregibus non patebat. Poterat quis ſitim hîc relevare, non implere gurgitē. Hoſpites maximè grati fuerunt Pauperes. Horum hianti fami, ſitíq;, cibum, potúmq; abundè miſericordi manu induſtrius ſubminiſtrabat famulus: quibus poſteà ac ſi ſuum τὸ τῆς εὐσεβείας ταμεῖον ſatis capax non fuiſſet, aut aliquādo cum Domino iaceret Hoſpitalitas, ſecundum extruxit Xenodochium. O Heroicam verè magnifici animi bonitatem! Alii

Ædificent auro ſedésque in ſidera mittant,

inſanâ epularum lauticie, λιπαραῖς τραπέζαις, καὶ μαγείρων μαγγανεύμασι (vt *Nazianzenus*) fruantur ditiores. Tu pauperibus conſuluiſti: & tibi. Cum hanc curares *Eleemoſynam*, hoc Domicilium extrueres, Tuæ proſpiciebas æternitati.

Marmora Meſſallæ findit caprificus,---

Dimidios Criſpi mulio ridet equos.

Solaque non nôrunt hæc monumenta mori.

Vnde perennis ejus bonitas adhùc ſcatet, ínque fontem tandem *Aonium* fluit. *Scholam* fundat, & *Lincolnienſis* STANFORDIÆ ruinas vmbratili ſolatur *Gymnaſio*. Singula quid perſequor? Pietas, probitas, religionis & innocentiæ puritas (*Quanta Numa fuerat, ſed Numa pauper erat*) per quas apud cives ſuos Venerandus vbique Patriæ Genius audijt, Oratiunculæ, & Epitomes cancellis ne arctentur. Vobis tantùm ipſis indulgete pauliſper patientiam, & ſanctiſſimi Equitis in *Academiam* reditum audite. Surgenti SCHOLARVM Operi (*O fortunati quorū ſic mœnia ſurgunt!*)

 mu-

munificè donavit. Nempe,

Qui crepet aureolos, forſitan vnus erit.

Vos autem ante alios SOMATOCHRISTIANI, mecum Patrono veſtro applaudite. & indelebile nomen conſervate. Vobis totas effudit opes;

--centum,

Dein mille altera, dein ſecunda centum.

Quæ θρεπτήρια reddidiſti, SANCTPAVLE! Quòd noſtri quondã *Lycei Hippocrenen* hauſeris, nos ex aurifero Tuæ beneficentiæ *Tago* bibimus. Idcirconè Liberis caruiſti, vt nos adoptares, & naturæ invidiam perpetuâ hâc numeroſæ Sobolis propagatione vlciſceteris? Nimirùm quamdiu ſtabunt hi Parietes, æternùm honorandi SENIS Pyramides nõ ruituræ, filios habebis. Et te --*nulla dies vnquam memori eximet ævo.* Ite degeneres procerum animi! Hic in tergum, ille

demiſſo in viſcera cenſu

conturbet. Hunc in diriſſimam fortunarum tabem, & ſuam, fœda detineant lupanaria: canibus & equis avita donet patrimonia. Alter miſerrimus mortalium largiatur nihil, gazis incubet,

Vt magnus draco, quem canunt Poetæ
Cuſtodem Scythici fuiſſe luci;

fœnore nummos paſcat. Hæc SANCTPAVLO vſura, in pios vſus erogare, & pulcherrimam famæ hęreditatem lucrifacere. Nunquam Fortuna meliùs bona tua locaſti: Cœca non eras, cum illi faveres. Te *Deam* fecit, &, aliàs caducam, reddidit immortalem. Ceteris divitiæ ſecum pereunt, aut relinquunt.

Solas, quas dederis, ſemper habebis opes.

Ha-

Hactenùs (*Graviſſimi Auditores*) Vitæ hiſt oriam tenui planè filo deduxi. Quid ſibi mors pia, ſancta, vivida vendicabit? Narra deinceps, quâ conſtantiâ, & fortitudine φοβερῶν φοβερώτατον expugnaverit; quæ noviſſima ediderit verba; quomodò,

Siccis ipſe genis flentes hortatus amicos,

animam cœleſtem cœlo reddiderit. At (ah!) hæreo: & moribunda Oratio in vivi laudibus cõſumpta, in mortis nomine (nimiùm, heu! feſtinantis) lethali ſtupore expirat. Mortuum non cogitabo, non dicam.

Longior huic facta eſt, quàm data vita fuit.

Quare exhilarate Genium, riſu pectora ſolvite, frontes exporrigite, & ſolâ lætitiâ SANCTPAVLI Manibus parentate. Mihi demùm, ſecundis bellarijs pauſam facienti, ſilentium imponite. *Dixi.*